



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

16. Cognito & amor Incarnationis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

& fluxis : Ego autem gaudebo in Domino,  
& exultabo in Deo IESU meo. Habac. c. 3. 18.

II. Ostende Te mihi Consolator meus ! Vi-  
deam Te Redemptor meus ! Diligam te vita  
anima mea. S. Aug. solil. c. 1.

III. Esse sine JESU gravis est infernus:  
esse cum JESU dulcis paradisus. Thom.  
Kemp. L. 2. c. 8.

## P A S S U S XVI.

Cognitio & dilectio Incarna-  
tionis, doctrinæ & exem-  
pli Christi.

### T E X T U S.

*Sic Deus dilexit mundum, ut  
Filium suum unigenitum da-  
ret. Joan. c. 3.*

#### Cognitio.

I. **R**edemptor amabilis: tanta in Te arsit  
flamma charitatis. ut propter nos ho-  
mines, & propter nostram salutem, de cælo  
descenderis, formam servi susceperis, & in  
similitudinem hominum factus sis, parvulus  
na-

natus in Bethlehem, ut majore, teneriore-  
que amore à nobis diligereris.

II. O Magister veritatis: tu exultâsti ut  
gigas ad currendam viam tuam, & tanquam  
lucidissimus mundi oculus Sol, doctrinæ tuæ  
radius tenebras discussisti: tanquam zelotes  
urbes & oppida percurristi, ut Evangelium  
tuum annuntiares; ac tanquam Doctor per-  
fectionis, omnem justitiam doceres, & inter  
cætera, paupertatem divitiis, ignominiam  
honoribus, ærumnas voluptatibus, obre-  
gnum cælorum, esse anteponenda.

III. Verùm quia facilior & compendio-  
sior via est per facta, quàm per verba, lucu-  
lentissima omnium virtutum exempla nobis  
præbere voluisti: scilicet paupertatis, humi-  
litis, mansuetudinis, patientiæ, obedi-  
entiæ, castitatis, ac charitatis Dei ac proximi.  
*Exemplum dedi vobis; ut quemadmodum ego  
feci, ita & vos faciatis.* Joan. c. 13. 15.

#### Dilectio.

*Hæc sunt beneficia tua Domine, quæ nisi  
saxeum sit & ferreum cor meum, emolliant,  
necesse est, & amore inflamment. Fecisti enim  
me, cum non essem; redemisti me, cum periis-  
sem; perieram, mortuus fueram, ad mortuum  
descendisti; mortalitatem suscepisti, ad servum  
Rex venisti; ut servum redimeres, te ipsum  
tradidisti; ut ego viverem, Tu mortem susce-  
pisti, mortem vicisti.* S. Aug. solil. c. 3.

Jam quantum est beneficium, quòd ore proprio nos docueris, non ut olim per Prophetas; quòd verba vitæ protuleris, viam veritatis ostenderis, evangelium tuum annuntiaveris, mysteria Divina revelaveris, & occulta sapientiæ tuæ, tanquam amicis manifestaveris. O quis propterea Te non intimè diligit? Quis verba tua non avidè audiat, ea in corde conservet, & tanquam dulcia faucibus eloquia indefinenter ruminet?

Quàm magnum denique, ô Salvator! est beneficium, quòd salutis & perfectionis viam vitæ tuæ exemplis nobis signaveris? O quid retribuemus tibi pro omnibus beneficiis, quæ præstitisti nobis, nisi ut vestigia tua legamus, & exempla, ex amore Tuî, imitemur?

*Aspirationes.*

I. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Joau. c. 1.*

II. *Quantò pro me vilior, tantò mihi carior. S. Bernard.*

III. *Candor lucis aterna, speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius, Sap. c. 7. Illumina me, doce me, trahere me post te.*

\* \* \*